



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Dispytatio I. De Irregularitate in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

TRACTATUS DE IRREGULARITATE. DISPUTATIO PRIMA. De Irregularitate in communi.

DIFFICULTAS I.

Quid sit Irregularitas.

IRREGULARITAS est impedimentum, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tamquam inhabilis prohibetur, Iure Canonico introductum. Vbi nomine Ordinum etiam comprehenditur prima tonsura, utpote principium & dispositio ad illos. In qua definitione Doctores re ipsa conueniunt, quamuis non ab omnibus tradatur eisdem verbis, & à nonnullis absque necessitate ei addatur, *ex defectu, vel ex delicto promouens.*

Pro eius tamen explicatione supponendum est, irregularitatem ab excommunicatione maiore, suspensione, & depositione, cum quibus habet maiorem similitudinem, quam cum alijs, distinguere in aliquibus. Ab excommunicatione & suspensione Primò, quòd hæc sunt censuræ, quia sunt pœnæ; irregularitas verò non est censura, quia non est pœna, adhuc ea quæ contrahitur ex delicto; quia non fertur in punitionem delicti, sed ad euitandam indecentiam, quæ esset in eo quòd persona, quæ tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut iam susceptos exerceat. Secundò, quòd excommunicatio & suspensio possunt ferri à Iure & ab homine, irregularitas verò tantum à Iure, & non ab homine (ubi intellige inferiore) quia à Papa ferri posset. Tertiò distinguitur ab excommunicatione maiori, quòd hæc pluribus priuat quam irregularitas, ut patet, & eis quibus etiam priuat irregularitas, priuat alio modo, quia eis priuat ut sunt communia alijs fidelibus, & non irregularitas: & à suspensione distinguitur, quia hæc non priuat nisi usu; irregularitas verò etiam quasi priuat capacitatem & potestatem, habendo & tractando personam quasi inhabilem & ineptam.

Deinde differt à depositione Primò, quòd hæc non infertur à Iure, sed ab homine, irregularitas verò non ab homine, sed à Iure. Secundò, quòd depositio saltem directè non inhabilitat, aut quasi inhabilitat ad susceptionem Ordinum, sed ad usum susceptorum. Tertiò, quòd depositio non fertur ad euitandam indecentiam, sicut fertur irregularitas, sed ad euitandum damnum commune futurum ex usu Ordinum à persona deposita.

Hoc ergo supposito, in dicta definitione irregularitatis pro genere ponitur *impedimentum*, in quo irregularitas conuenit cum alijs: & pro differentia ponuntur reliquæ particulæ, quia per eas particulæ, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tamquam inhabilis prohibetur, distinguitur particulariter ab alijs impedimentis, quia alia pluribus auctorioribus priuat quam irregularitas: & specialiter ab excommunicatione, suspensione, & interdictione, quia his non prohibetur quis quasi inhabilis & ineptus, bene tamen irregularitate. Et per eam particulam, *Iure canonico introductum*, etiam differt ab omnibus alijs impedimentis, quia omnia alia possunt ab homine ferri, & aliqua à solo homine; irregularitas verò à solo Iure: & per eam etiam differt ab impedimento, quo femina, & non baptizati prohibentur, imò inhabiles sunt ad Ordines suscipiendos, quia istud est Iure diuino introductum.

DIFFICULTAS II.

Quotuplex sit Irregularitas.

IRregularitas (quæ non aliter diuiditur & multiplicatur quam ex causa ob quam fertur) dicitur est quæ oritur ex defectu, & altera quæ oritur ex delicto: & quælibet ex his in plures alias subdividitur. Quia quæ oritur ex defectu, subdividitur in varias irregularitates, quæ ex varijs defectibus oriuntur: & quæ oritur ex delicto, etiam subdividitur in alias, quæ oriuntur ex varijs delictis, de quibus omnibus postea scorsim dicemus.

Est tamen difficultas Primò, An irregularitas, quæ oritur ex delicto, v.g. ex usu Ordinum in suspensio, incurratur ob delictum internum, & ob intentionem vitandi Ordinibus in statu suspensionis.

Glossa vltima in cap. *Perniciosæ*, de *Pœnitentiis*, dist. 1. & alij pauci Iuriste partem affirmantem tuentur; quia Pontifices aliquando concesserunt privilegium dispensandi in irregularitate intermili, quæ non potest esse alia quam quæ oritur ex delicto merè interno.

Suarez verò disp. 40. sect. 3. Sayrus lib. 6. cap. 1. & Egidijs disp. 18. dub. 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & merito: quia delictum nullum est Ius Ecclesiasticum, quo irregularitas feratur ob delictum aut actum internum, imò nec esse potest, quia actus internus non habet

iaceret iudicio Ecclesiae: imò, vt aduertunt Suarez & Aegidius, non oritur nisi ex delicto exteriori consummato, v. g. irregularitas quae oritur ex delicto homicidij, non incurritur ob vulnerationem, quamuis sufficientem ad mortem, nisi re ipsa eueniat mors & quousque eueniat, quia vsque ad illam, quamuis miraculose impediatur, non est verè homicidium, ob quod tantum hac irregularitas fertur.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, Si tale priuilegium fuit concessum, nomine irregularitatis mentalis tantum intelligi omnino occultam, id est occultam ex defectu aut ex delicto omnino occulto.

Secundò est difficultas, An irregularitas quae oritur ex delicto, incurritur ob delictum exterius, quando est adeò occultum vt probari non possit.

Glossa. 7 *Castro.* Glossa in cap. ult. de Temporibus ordinat. & Castro lib. 1. de Lege penali, cap. ult. partem negatiuam tueritur, quia in dicto cap. ult. de Temporibus ordinat. dicitur, periuros, adulteros, & falsos testes posse Sacris initiari, & eis fungi, quamdiu crimen manet occultum.

Nauarrus. *Suarez.* *Aegidius.* Nauarrus verò cap. 27. num. 294. Suarez & Aegidius vbi supra, & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia id supponitur in Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformatione, dum concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quae provenit ex homicidio voluntario, quod etiam ratione constat, quia ex vna parte delictum exterius, quamuis occultum, & non probabile in iudicio, defectu testium, quantum est ex se, subiaceret iudicio Ecclesiae: & vt irregularitas infligatur, non est necessaria probatio, quia iure ipso fertur & infligitur: & ex altera parte irregularitates, quae feruntur ob delictum absolute, feruntur ob delictum quod absolute est tale, quamuis sit occultum, & in iudicio probari non possit.

In dicto autem cap. ult. pro aduersariis adducto tantum est sermo de irregularitate lata ob infamiam annexam dictis criminibus (non ob ipsa delicta secundum se) quae non est in delictis occultis.

Tertiò est difficultas, An irregularitas quae oritur ex delicto, incurritur ob delictum tantum veniale.

8 Supponimus, de facto nullam esse latam irregularitatem ob delictum ex suo obiecto & materia veniale.

Est ergo difficultas, An, quae lata est ob delictum ex obiecto mortale (vt ob homicidium) quando ex defectu perfectae deliberationis, aut aliter excusatur à culpa mortali, & tantum remanet veniale, incurritur ob illud.

Caetan. *Armilla.* *Corduba.* Caetan. 2. 2. quaest. 64. art. 8. Armilla v. Irregularitas. num. 14. Couarruias & Corduba partem affirmatiuam tueritur, quia excommunicatio minor, quae non tantum priuat susceptione Ordinum, sed etiam aliorum Sacramentorum, incurritur ob peccatum tantum veniale, ergo etiam irregularitas, quae tantum priuat susceptione Ordinum & eorum exercitio.

Nauarrus. *Suarez.* *Aegidius.* *Vasquez.* Nauarrus cap. 27. num. 252. Suarez & Aegidius vbi supra, & Vasquez 1. 2. disp. 158. cap. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia irregularitas

est quoddam grauissimum malum, vtpote priuans magno bono, & in perpetuum, absque spe restitutionis; ergo non est censenda ferri, nisi aut ob grauem defectum, aut grauem culpam, quod etiam, vt contra nonnullos aduertunt Suarez & Aegidius, est verum quando fertur à Papa.

Ad rationem verò aduersariorum respondemus, quòd quamuis excommunicatio minor priuet maiori bono quam irregularitas, non tamen est graue malum sicut est irregularitas; quia facillimè tollitur, & quando excommunicatus vult, non verò irregularitas.

DIFFICULTAS III.

Vtrum in dubio Iuris Irregularitatis censendus sit quis irregularis.

*Q*uod quaerimus est, An qui dubius est an Iure sit alicui delicto quod commisit, aut defectui quem habet, annexa irregularitas, censendus sit irregularis.

Certum est, ob nullum delictum aut defectum cui in Iure non sit expressè annexa irregularitas, incurri irregularitatem, vt dicitur in cap. *Is qui*. 18. de Sententia excommunicat. in 6. est enim rationi consonum, vt poenalitas Iure lata pro vno casu, non extendatur ad alium ob aliquam similitudinem: odia enim sunt restringenda.

Est tamen difficultas, An quando est dubium, & purum, absque probabili iudicio, an alicui delicto aut defectui sit Iure expressè annexa irregularitas, qui sic est dubius, censeri debeat irregularis, & se gerere vt talem. Addidimus, quando est dubium, & purum, absque probabili iudicio; quia quando probabiliter seu prudenter iudicatur non esse annexam irregularitatem, quamuis etiam, sit probabile iudicium pro opposita parte, potest quis se gerere vt non irregularem, iuxta communem & generalem doctrinam in Tractatu de Conscientia.

Circa hanc ergo difficultatem conueniunt Doctores, in dicto puro dubio ante factam prudentem diligentiam ad illud superandum, eum qui sic est dubius, teneri se gerere, vt irregularem ad eum effectum, vt abstineat ab omni eo quod irregularitate prohibitum est: quia ante eam diligentiam temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An si post factam prudentem diligentiam maneat purum dubium (quod raro eueniet) teneatur quis se gerere vt irregularem, ad dictum effectum.

Suarez disp. 40. sect. 5. Auila disp. 2. dub. 5. & Aegidius disp. 18. docent non teneri, quia in dubio melior est conditio possidentis, vt desumitur ex regula Iuris 65. in 6. ille autem possidet libertatem ab irregularitate, ergo non est censendus irregularis.

Burgalio de Irregularitate par. 1. quaest. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 65. c. 3. docent teneri se gerere vt irregularem, & meritò: quia non se gerendo vt irregularem, temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Vnde, quidquid dicat Suarez, multò melius tenebitur se gerere vt irregularem, quando nondum est facta diligentia absolute & simpliciter prudens, quamuis facta sit quae pro temporis & loci

G g g loci

loci opportunitate fieri potest, quando se offert necessitas aliqua exercendi Ordines sacros, quia in hoc casu magis temerè & minus cautè se exponit periculo faciendi contra irregularitatē, quam in priori casu dicto. Et eodem modo censendus est à Iudice irregularis ad dictum effectum, nempe ut non permittat eum aliquid efficere contra irregularitatem, quamvis non ad effectum infligendi illi poenam aliam Iure assignatam, quæ non sit prohibitio, ut dicemus Difficultate sequenti in dubio facti.

Ad rationem autem aduersariorum respondemus, eam regulam Iuris, *In dubio melior est conditio possidentis*, tantum habere locum in materia iustitiæ, non in materijs aliarum virtutum: quia in dubio ad quem pertineat dominium alicuius rei, possessio est titulus faciens ius possidentis ita melius & potius quam alterius, ut hic alter nequeat rationabiliter conqueri, quod possidens in dubio dominij rei eam retineat, ob quod non se exponit temerè & absque ratione periculo retinendi rem illam, quamvis fortè sit alterius; respectu verò libertatis ab irregularitate, & à quocumque alio Iure & præcepto, non est verè dominium quod possit meliorari, nec verè possessio qua possit meliorari, ac proinde in dubio Iuris periculum faciendi contra tale Ius, est temerarium & absque ratione.

DIFFICULTAS IV.

Utrum in dubio facti, cui annexa est Irregularitas, censendus sit quis irregularis.

Quod quærimus est, An qui purè absque probabili iudicio dubius est an commiserit crimen, aut habeat defectum cui expressè est annexa irregularitas, censi debeat irregularis.

Conueniunt Doctores, in dicto puro dubio ante factam prudentem diligentiam ad illud superandum, eum, qui sic est dubius, teneri se gerere ut irregularem, ad eum effectum, ut abstinere ab omni eo quod irregularitate prohibetur: quia ante eam diligentiam temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Est ergo difficultas, An si post factam prudentem diligentiam maneat dictum purum dubium (quod non rarè euenit) sic dubius censendus sit irregularis ad dictum effectum.

Circa quam conueniunt Doctores, eum, qui sic est dubius, etiam post factam prudentem diligentiam an commiserit homicidium, censendum esse irregularem, ad dictum effectum. Quod exprimitur in cap. *Ad audientiam*. 12. & in cap. *Significasti*. 18. de Homicidio. Et id non solum est verum in foro interiori conscientie & quoad Deum, in quo Doctores conueniunt, sed etiam in foro exteriori, ut contra Panormitanum, Siluestrum, & Armillam docent Couarruias in Clementina *Si furiosus*. num. 3. de Homicidio, Toletus lib. 1. cap. 51. Suarez disp. 40. sect. 5. Egidius disp. 18. dub. 2. Vasquez 1. 2. disp. 66. cap. 1. & communiter recentiores: quia in dictis duobus capp. etiam est sermo quoad forum exterius, præsertim in cap. *Ad audientiam*, ut deducitur ex illis verbis, *Ad audientiam Apostolatus nostri peruenit*, id est, ad nostrum tribunal exterius. Et sanè forum ex-

terius seu iudiciale discrepare non debet ab interiori conscientia, nisi quando exterius fundatur aliqua præsumptio: quia quando fundatur in rei veritate, ut in casu præsentis contingit, cogitur veritate utrumque forum consentire debet.

Dissentiunt tamen Doctores, An non solum in casu homicidij, sed etiam in omnibus alijs casibus in puro dubio facti, sic dubius censi debeat irregularis ad dictum effectum.

Auila p. 7. disp. 2. dub. 5. Suarez & Egidius ubi supra docent, sic dubium non esse censendum irregularem in alijs casibus (excepto homicidio, ob peculiarem dispositionem dictorum duorum capp.) quia in dubio facti generaliter melior est conditio possidentis suam libertatem ab irregularitate.

Vasquez ubi supra, & plures alij docent, sic dubium censendum esse irregularem ad dictum effectum, etiam in omnibus alijs casibus, & merito: alijs sic dubius temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis. Et id efficaciter deducitur ex dictis duobus capitulis, quia in eis generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti: quia in eis non traditur ratio aliqua peculiaris & propria dubij homicidij, sed generalis omnibus dubijs (excepto dubio in materia iustitiæ, ob peculiarem rationem traditam Difficultate præcedenti) quia in eis capitulis non dicitur, in dubio homicidij abstinendum esse à ministerio altaris, quia in eo dubio, sed quia in dubijs tutiorem semitam debeamus eligere. Vitependendum est, quod dicitur *debeamus*, quod denotatur, tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquam obligationem pro casu homicidij, sed obligationem generaliter in dubio cuiuscumque facti, aliunde provenire, ex lege videlicet, aut ex præcepto, cuius transgressioni dubius se temerè exponit.

Addimus ad dictum effectum, nempe ut abstinere ab omni eo quod irregularitate prohibetur: quia solum quantum ad hunc effectum id probat ratio facta, ne scilicet exponatur temerè periculo faciendi contra prohibitionem, ac proinde peccandi, & solum quantum ad hunc effectum in dictis duobus capitulis.

Id verò quod diximus, non solum est verum in foro interiori conscientie, in quo conueniunt Panormitanus, Siluester, & alij, quod scilicet sic dubius teneatur se gerere pro irregulari ad dictum effectum, sed etiam (quidquid prædicta dicant) in foro exteriori, quod scilicet ut talis iudicandus sit à Iudice ad dictum effectum, non verò ad effectum condemnandi illum privatione beneficii, & alijs puris penis, quæ non sunt prohibitio irregularitatis, quia eis puris penis nemo potest irregularitatis condemnari in dubio. Et de eis procedit Regula 11. Iuris, in 6. *Cum iura parium sunt, actori reo favendum est potius quam actori*. quia certa ratio est, quod poena taxata pro aliquo delicto certo, infligatur pro delicto dubio, quia iustitiae alia minor tanta aut tanta pro qualitate dubij.

DIFFICULTAS V.

Quos effectus habeat Irregularitas.

Conueniunt Doctores, ei, qui absolutus est irregularis, prohibitum esse Ordines Ecclesiasticos suscipere, & eos susceptos exercere, ut

deducitur ex cap. *Significasti*. 16. de Homicidio, & constat ex definitione irregularitatis tradita Difficultate 1. valde tamen Ordines suscipere, quia Ecclesia, à qua irregularitas instituta est, nequit impedire valorem Sacramentorum, si adhibeantur omnia à Christo requisita. Et quamvis impedire posset valorem primæ tonsuræ, utpote ab ipsa instituta, de facto tamen eam non irritat, quia credi non potest, Ecclesiam incapacitate ad primam tonsuram, quæ est principium & quasi dispositio ad Ordines, eum, quæ ad ipsos Ordines incapacitate non potest. Valide item ut Ordinibus susceptis, excepta potestate Sacramentali ad absol- uendum à peccatis, quia valor ipsius usus Ordinis, excepto dicto Ordine, tantum pendet à potestate ipsius Ordinis collata per ordinationem, & non ab Ecclesia. Excepimus tamen potestatem Sa- 19 cramentalem ad absolvendum à peccatis, quia contra *Egidium* disp. 18. dub. 1. & contra alios existi- mamus, absolutionem à peccatis factam ab irre- regulari, esse nullam, quia irregularitate impeditur quis ab usu Ordinum quantum potest ab Ecclesia impediri: Ecclesia autem potest absolutionem à peccatis irritare; quia quamvis sit usus potestatis seu iurisdictionis Ordinis, pendet tamen ab Ec- 20 clesia quoad applicationem subditorum; quia ex vi Ordinis nullus est determinatus; absolutio autem in non subditum est nulla.

Quia tamen irregularitate non nisi susceptio Ordinum & horum usus prohibetur, ideo irre- 20 gularis potest suscipere quodcumque aliud Sacra- mentum etiā Pœnitentiæ, & exercere quemcum- que actum, siue iurisdictionis siue non iurisdic- tionis, qui non sit usus Ordinum. Unde irregularis potest exercere quemcumque actum, qui potest exerceri ab initio prima tonsura, ut sunt, absol- uere à censuris, dispensare in votis, concedere li- centiam audiendi confessiones, concedere indul- gentias, assistere matrimonio, & alia quæ non sunt usus Ordinis ex officio facta, quamvis supponant primam tonsuram.

Est tamen difficultas, An irregularitas priuet beneficio Ecclesiastico. Conueniunt Doctores, illicitum esse, conferre beneficium irregulari ex homicidio iniusto ex industria facto; quia id pro- 20 hibuit Tridentinum sess. 14. cap. 7. de Reforma- tione, & cuiusque absolute irregulari, ut dedu- citur ex c. 2. de Clericis pugnantis in duello.

Disentiunt, An irregularis sit incapax recipien- di beneficium, ita ut collatio ipsi facta sit nulla.

Naarrus. c. 27. num. 149. *Couarruias* 1. part. §. 7. *Henriquez* lib. 14. cap. 2. & communiter Do- 21 ctōres partem affirmatiuam tuerentur, quia deduci videtur ex cap. *Cum bona*. 8. de Etate & qualitate & ordine perficiendorum, & ex dicto cap. 2. de Clericis pugnantis, & ex cap. 7. & ex ult. de Cle- rico excommunicato.

Siluester v. *Excommunicatio*. 4. num. 4. *Felinus* in cap. *Inquisitionis*. de Accusationibus, num. 6. & *Nicolaus Plonius* partem negatiuam tradunt, & non absque probabilitate, ut fatentur *Suarez* disp. 4. sect. 2. & *Egidius* disp. 18. num. 6. quia ex nullo Iure dicta incapacitas deducitur, quia in dicto cap. *Cum bona*. tantum est sermo de absolute suspensis, & perseverantibus per triennium in suspensione, imò ex eo non constat tales suspensos esse inhabiles, sed tantum esse expoliandos benefi- 21 cijs antea possessis, & tunc acquisitis; & in c. 7. de

Clerico excommunicato, tantum est sermo de ex- communicatis; ex cap. verò ultimo eodem titulo, & ex cap. 2. de Clericis pugnantis, ad summum deducitur, beneficium illicite conferri irregulari, & collationem esse irritandam.

Unde irregularis multò minùs est priuatus be- neficij ante irregularitatem obtentis, in quo Do- ctōres conueniunt; quia hæc priuatio ex nullo Iure deducitur: imò ex cap. *Clericis*. 5. Ne Clerici vel Monachi, deducitur, Clericum ob irregularita- tem ex mutilatione membrorum prouenientem, non esse ipso facto priuatum, sed priuandum, & consequenter multò minùs ob irregularitatem ex alijs causis. Unde beneficiarius irregularis licite retinet beneficium, quouique à Iudice priuetur, dum possit per se aut per alterum exercere officium beneficio annexum.

De alijs verò peculiaribus effectibus aliquarum irregularitatum dicemus, quando per eas sigilla- 22 tum discurremus.

DIFFICULTAS VI.

A quo feratur Irregularitas.

Conueniunt communiter Doctores, nullam esse latam seu impositam irregularitatem, nisi à Iure humano Ecclesiastico; quod satis indicatur in cap. *Is qui*. 18. de Sententia excommunic. in 6. dum dicitur, nullam incurri irregularitatem, nisi sit expressa in Iure. Et sanè nulla est lata Iure naturali, ut patet: nec Iure diuino; quia non veteri, quia Ius diuinum vetus cærimoniale, quo non- 23 nullæ erant irregularitates, morte Christi cessauit; nec nouo gratiæ, quia de eo nullatenus constat.

Irregularitas ergo solo Iure humano Ecclesia- stico fertur, & non nisi Papali; quia à nullo Epi- scopo inferiore legitur Iure lata. Imò eam Iure fer- re, reservatum est Papæ, ut perpetuus Ecclesiæ usus ostendit, & satis congruenter; quia irregulari- 24 tas est grauissimum malum, & perpetuum, & ex sui institutione ob solam indecentiam ferenda, non in pœnam; ac proinde fuit maximè conue- niens, ut Iure, quo solo executioni mandatur, à solo Papa feratur.

Est tamen difficultas, An irregularitas ferri & imponi possit per sententiam à Iudice Papa infe- riore.

Scotus in 4. dist. 25. quæst. 1. & *Gabriel* lect. 9. *Scotus*. in can. lit. D. partem affirmatiuam tuerentur, quia ex vna parte Iudices non sunt Iure aliquo impediti ad sic ferendam irregularitatem, & ex altera irregu- 25 laris non est malum adeò graue, ut excedat meri- tum cuiuscumque delicti.

Sotus verò in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. *Suarez* *Sotus*. disp. 40. sect. 4. *Auila* par. 7. disp. 1. in fine, & com- 26 munitur Doctores partem negatiuam tradunt, quod usus Ecclesiæ ostendit; quia numquam legitur la- ta sententia, quæ à Iudice inferiore imponatur irre- gularitas, & satis congruenter; quia irregularitas non est instituta ut pœna ad puniendū delicta, sed ut impedimentum, ad euitandam indecentiam; ad Iudices autem inferiores per sententiam non tam pertinet indecentias vitare, quam punire delicta.

Iudices ergo Papa inferiores, etiam Episcopi, ad ferendam irregularitatem tam per sententiam quam per Ius, impediti sunt Iure Papali non scri- 24 pto, sed viua voce aut aliter tradito.

DIFFICULTAS VII.

Qui possint Irregularitatem contrahere.

25 **C**onueniunt Primò Doctores, inhabilem ad validè suscipiendum Ordinem, ut feminam, & quamcumque personam non baptizatam, non posse irregularitatem contrahere; quia irregularitas est quædam privatio prohibitiva susceptionis Ordinum & exercitij susceptorum: qui autem incapax est Ordinum, nequit privari susceptione nec exercitio eorum; quia privatio supponit subiectum capax formæ cuius est privatio: irregularitas verò est, quæ quis est extra regulam in qua esse poterat.

Conueniunt Secundò, omnem habilem ad validè suscipiendum Ordinem, etiam Episcopum (excepto Papa) posse irregularitatem contrahere, quia ex una parte est capax prohibitivæ privationis susceptionis Ordinis, & exercitij Ordinis suscepti; & ex altera parte quicumque, excepto Papa, est omnino subiectus Iuri Pontificio, quo irregularitas fertur. Excepimus Pontificem, quia quamvis sit subiectus Iuri suo quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, nec quasi coactivam; irregularitas autem, quamvis sit prohibitio, quia tamen non est pura, sed pœnalitas quædam, & malum quoddam, pertinet ad vim coactivam.

26 Est tamen difficultas, An Episcopi comprehendantur Iure generali quo fertur irregularitas.

Maiolus. Maiolus lib. 4. de Irregularitate, cap. 1. num. 7. negat eos comprehendendi, quia in c. *Quia periculosum*. 4. de Sententia excommunicationis, in 6. decernitur, Episcopos non teneri Iure generali fente suspensionem aut interdictum.

Suarez. Suarez verò disp. 4. sect. 7. affirmat, & merito: quia nullo Iure excipiuntur ab incurrendo irregularitatem, imò nec ab incurrendo excommunicationem, quamvis Iure dicti cap. excipiuntur ab incurrendo suspensionem & interdictum, quæ Iure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

DIFFICULTAS VIII.

Quæ excusent delinquentem ab Irregularitate lata ob delictum.

27 **S**upponimus, ea omnia quæ excusant opus delicti à culpa mortali, excusare delinquentem ab irregularitate ob illud delictum lata. Ita Auila disp. 1. dub. 7. & Egidius disp. 18. dub. 4. quia irregularitas quæ fertur ob delictum, non incurritur nisi ob delictum mortale. Vnde ignorantia inuincibilis, & defectus plenæ aduertentiæ & considerationis, siue Iuris ob cuius violationem fertur irregularitas, siue facti quo dictum Ius violatur, excusant ab irregularitate, quia excusant à culpa mortali: & etiam metus mortis, aut infamiae, aut aliis nocuenti grauis, excusat ab irregularitate

annexa operi prohibito Iure tantum humanum quia tunc metus cuiuscumque nocuenti graui excusat opus à culpa, saltem à mortali.

Est tamen difficultas, An quis incurrat irregularitatem latam ob opus etiam Iure naturali prohibitum, ut ob homicidium, quando inuincibiliter ignorat, tale opus esse Iure humano Ecclesiastico prohibitum.

Nauarrus cap. 27. num. 16. Sancius l. 9. disp. 1. & Egidius num. 29. docent, eum, qui delinquit ignorans inuincibiliter id esse contra Ius Ecclesiasticum, non incurere irregularitatem; quia irregularitas lata ob delictum, tantum fertur ob contumaciam inobedientiæ Ecclesiæ; qui autem ignorat inuincibiliter delictum esse ab Ecclesia prohibitum, non est Ecclesiæ inobediens seu contumax imò addunt, non incurere irregularitatem qui ignorat inuincibiliter eam esse delictum annexam quamvis sciat delictum Iure Ecclesiastico prohibitum.

Et ob rationem dictam, si efficax est, non incurret irregularitatem, qui non considerat seu advertit actum, delictum esse contra Ius Ecclesiasticum, etiam si habitualiter sciat, imò & qui non considerat ei delictum esse annexam irregularitatem, qui Egidius tenetur admittere, iuxta illud quod docuit disp. 13. num. 93.

Sotus verò in 4. dist. 22. art. 2. Vasquez de Excommunicatione dub. 16. & Suarez disp. 4. sect. 7. docent, eum qui committit delictum etiam Iure naturali prohibitum (ut homicidium) cui est annexa irregularitas, eam incurere, quamvis ignoret delictum esse Iure Ecclesiastico prohibitum & merito: quia homicidium v.g. & quodcumque aliud delictum factum contra Ius naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ, ob quod lata est irregularitas, est simpliciter tale delictum, v.g. homicidium, a ratione excusatum, quamvis in eo delicto non sit contumacia Ecclesiæ, remanet in eo sufficiens indecentia ad suscipiendos Ordines, & ad exercendos iam susceptos, ob quam evitanda fertur irregularitas in eo remanet sufficiens culpa, ut ea pœnaliter infligatur, quamvis irregularitas infligatur pœna; ergo absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticæ ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio Iure prohibitum.

Addunt prædicti, multò minus prærequiritur scientiam seu notitiam annexionis ipsius irregularitatis ad eam incurrendam, & merito: quia ratione pœnæ aut quasi pœnæ non est, quod sit voluntaria. Quod autem delictum absque notitia irregularitatis factum, habeat minorem contumaciam seu inobedientiam respectu Ecclesiæ, prout refert; quia absque ea notitia sufficiens debet contumaciam & indecentiam, & alijs pœnis læpè statuta Ordinariis, quod probabiliter ignorat non incurrantur, quia id est peculiariter dispositum in cap. *De animarum*. 2. de Constitutibus, in 6.